

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**D. Gebh. Theodori Meieri Theologi & Prof. in Academia  
Julia Antichiliasmus Absolutissimus**

**Meier, Gebhard Theodor**

**Helmstadii, 1696**

§. XXXVI.

**urn:nbn:de:bsz:31-105465**

gesserunt, retribuendum, ut patet ex locis adductis  
*2 Cor. V. 10. Matth. XXV. 31.* Hoc autem nec Scripturæ  
 consentaneum est, nec cum ipsorum Chiliastarum hy-  
 pothesibus stare potest. Scriptura quippe unum diem  
 iudicio vivorum & mortuorum determinat, ut evi-  
 dentum est thesi decimâ tertiâ; eadem vivos una cum fi-  
 delibus resurgentibus ( infidelibus quidem non me-  
 moratis sed nec exclusis.) Christo sistendos esse docet  
*1 Theff. IV. 16. 17.* quod dictum non minus valet ad pro-  
 bandam thesin decimam tertiam.

XXXV. Assertio decima sexta: Erit ergo judi-  
 cium in adventu Christi instituendum, omnino  
 universale, ita scilicet, ut in illo iudicentur simul om-  
 nes pii atque impii, tam vivi quam demortui. De  
 omnibus vivis res constat ex *Matth. XXV. 32.* ubi omnes  
 populi Christo sistendi dicuntur; de omnibus mortu-  
 is idem patet ex *2 Cor. V. 10.* qui locus in thesi decimâ  
 quartâ adductus est & explanatus, quorum utrorumq;  
 iudicia simul futura esse ex *1. Theff. IV. 16. 17.* constat, &  
 insuper assertione decimâ tertiâ demonstratum est.  
 Neque obscurum potest esse illud ipsum ex eo, quod u-  
 niversaliter *Matth. XXV. 31. seqq.* quicumque Christum,  
 in membris suis esurientem cibarunt &c. (qui non  
 possunt esse nisi verè fideles, quos proinde male huic  
 iudicio subducunt Chiliastæ, ut mox patebit) dicuntur  
 in hoc iudicio præmio vitæ æternæ donandi v. 46; Qui  
 vero hoc non fecerunt, in ignem æternum detruden-  
 di, de quibus in sequentibus.

XXXVI. Assertio decima septima: Hoc judi-  
 cium neminem in terris vivum relinquet. Ratio  
 manifesta est ex illo, quod omnes qui iudicantur l. c.,  
 statuuntur vel ad dextram Christi, vel ad sinistram; om-  
 nes

mnes vivos autem & mortuos judicatum iri ante probatum est; quivis ergo viventium & mortuorum ad alterutrum latus stabit. Qui vero ad dextram sistuntur, abeunt in vitam æternam, cæteri in ignem æternum, ceu in sequentibus uberius declarabitur. Neutri ergo in terrâ relinquentur. Esse autem hoc iudicium illud ipsum, quod in adventum Christi cadit, apertum est ex v. 31. *Cum Filius hominis veniet in suâ gloriâ, omnesque sancti Angeli cum eo &c.*

XXXVII. Assertio decima octava: Post illud iudicium non aliud expectari aut determinari potest iudicium. Probatur, quoniam omnes homines jam sunt iudicati, bis autem iudicatum iri quendam nec ipsi concedent Chiliastæ. Nec etiam post illud iudicium, novos homines, denuo iudicandos, esse nascituros, inde patet, quod omnes homines tum erunt vel in vitâ æternâ vel in igne æterno: In neutro autem loco homines per generationem multiplicatum iri adeo manifestum est, ut probatione non egeat.

XXXVIII. Assertio decima nona: Condemnati in hoc iudicio non maectabuntur; sed in ignem æternum omnes conjicientur. Aperte hoc docet Salvator loco adducto Matth. xxv. 31. seqq. quod scilicet dicturus sit illis qui ad sinistram sunt collocati: *Ite vos maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis ejus; & versu ultimo dicit: Et ibunt (maledicti) εις κόλασιν αιώνιον, in cruciatus æternos.* Nihil itaq; hic de maectatione vel deletione impiorum per gladium, siquidem illa cum detrusione in ignem æternum nequaquam potest consistere.

XXXIX. Assertio vigesima. Fideles autem, seu illi, qui collocati sunt ad dextram iudicis, hæ-